

hoc loco venenum significatur. At nihil profecerunt invidia & malevolentia sua. Christus enim in Iacob & Ioseph figuratus aperuit puteum & horrea, ut nos celesti pabulo reficeret. Id quidem est, qd

Luc. 24. ait Lucas capite 24. eum aperuisse discipulis scripturas, qui dicebant: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et paulo post ait sterisse eum in medio discipulorum, & aperuisse illis sensum, ut intelligerent scripturas. Ipse est,

Apoc. 3. de quo ait Ioannes capite 3. Apocalypsis: Qui habet clauem David, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.

Hanc clauem dedit pater filio, quatenus ille homo est: de qua dixerat apud Esa-

Esa. 22. Dabo clauem David super humerum eius: aperiet, & non erit, qui claudat, claudet & non erit, qui aperiat. Clavis illa est potestas & authoritas aperiendi scripturas. Qua de re vide Irenaeum libro 4.

Irenae. hæresum capite 37. Hac clauem aperiebat Christus librum, & signacula eius soluebat, hoc est difficultates diuinarum literarum enodabat. Sed non omnibus aperit scripturas, sed se ad id præparantibus,

Exo. 34. & disponentibus. Impij Iudæi in pertinacia manentes vident Mosem velo cooperum, hoc est legem testam, quam nullatenus intelligunt. Nam ut verbis utar diui Pauli capite tertio posterioris

2. Cor. 3 ad Corinthios: Ipsum velamen in lectio ne veteris testamenti manet non reuelatum. Habent legem in membranis, sed inuolutam, nam verus intellectus recessit ab illis. Id ait is verbis Ioannes capi-

Apoc. 6 te 6. Apocalypsis: Et cælum recessit sicut liber inuolutus. Per cælum diuina scriptura intelligitur, quæ clausa ut liber inuolutus abiit a Iudæis quo ad veram intelligentiam: vident enim quod foris apparet, mysteria autem intus inclusa minime percipiunt. Nolunt enim se ad ea intelligenda præparare. Ita diuus Ambrosius locum illum explanat. Ut conchilia marina se aperiant ad suscipiendum rorem coelestem, ex quo fulgentes gemmas conficiunt, ut ait Aristoteles, & post illum

Ambro. Similicudo. Aristot. Isidor. Isidorus: aquam verò amaram euitant:

sic nos debemus ad diuinam sapientiam, veramque doctrinam adipiscendam animos aperire, ex qua clarissimas eruditio nis margaritas concipiamus: mundi verò scientiam quam Apostolus in priore ad Corinthios stulticiam vocat, quæ cum turbida, ac amara aqua comparatur, contemnimus, & ad diuinum numen, ad coelestem sapientiam tota mente aspiremus.

In nouissimis diebus. Hoc est, in vltima mundi ætate, quæ ab Aduentu Christi vsque ad mundi finem continetur. Tempus Messæ in diuinis literis nouissimum appellatur. Cum Iacob ad exitum vitæ vocaretur, accersit filios suos, quos ita allocutus est: Congregamini, ut annunciem, quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis. Dies nouissimos vocauit tempus Messæ, de quo ibi multa prædixit. Eodem modo Esaias vaticinans de primo Christi Aduentu capite 2. Erit, inquit, in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium. Et Michæas quarto: Erit in nouissimo dierum, &c. Hanc vltimam ætatem appellat Zacharias decimo tempus serouinum. Et Ioannes in prima canonica capite secundo: Filioli nouissima hora est. Et Paulus

4. ad Galatas: Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum. Et cap. 10. prioris ad Corinthios: Nos sumus, in quos fines sæculorum deuenerunt. Et primo ad Hebræos: Nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem fecit heredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula. Fortasse intellexit Daniel hoc loco per tempora nouissima posteritatem, & tempora, quæ post Nabuchodonosorem ventura erant.

Visione capitis tui in cubili tuo. Hoc est visa mentis tuæ in lecto tuo. Caput accipitur pro magistratu, ut Hoseæ primo: Congregabuntur filij Iudæ, & filij Israel pariter, & ponent sibi met caput vnum. Hoc est omnes Iudæi qui fuerint ad fidem conuersi tam ex Tribu Iudæ, & Beniamin, quam ex decem tribubus, recipient Christum in principem. Pro quo Septuaginta habent, principatum vnum.

1. Cor. 3

Gen. 49.

Esa. 2.

Mich. 4.

Zach. 10

Galat. 4.

j. Co. 10

Hose. 1.